

pendens, unde conatus egerendi in utero redditur difficilis. Cum verò hæc vario modo respectu causarum mediatarum tum proximiorum, tum remotiorum produci possit, ideò ad earundem pergimus explicationem.

## §. VII.

*Causæ mediatae proximiores* licet sexcentæ à diverso puerperæ statu, inque partûs actû justâ vel injustâ obstetricis administratione accidere possint, attamen nonnullas saltem, de quibus maximè constat, sæpiusque occurrunt, pertractabimus. Inter quas quasi hostile agmen ducit *sanguinis seu Lochiorum retentio, stagnatio, grumescentia & acrimonia contracta*. Sanguis enim, uti in statu naturali, ubi blanda particularum tum  $\Delta$ rearum, tum ferofarum est harmonia, motuque gaudet ordinario, ad totius corporis humani non tantum conservationem, sed & nutritionem facit; siquidem sero & sanguine nutrimur: Ita quoque de naturali dejectus statu, lethales sæpè inducit tragœdias, varias noxiasque expertus metamorphoses. Patet hinc sanguinem, qui toto ingravidationis & gestationis tempore in utero materno fuit collectus, lochiorumque venit nomine, excluso fœtu, excernendum, cum amplius ejusdem nullus existat usus. Hic si subsistat, lochiaque dicta non ritè fluant, sed p. n. retineantur, eorundemque stagnatio oboriatur, unica dolorum post partum causa esse possunt, ut tradit *Sylv. Prax. Med. lib. 3. cap. 9. §. 25. 26. 27. Forestus lib. 28. obs. 81. scribit: Antequam Puerperæ rectè purgentur, id est, lochia decenter et inculpate fluant, dolores post partum sæpè iis oboriuntur. Facit hûc quoque vasorum angustia, quam hujus retentionis & stagnationis matrem esse asserunt, Jonston. Syntagm. Univ. Med. lib. 5. Tit. XII. cap. III. Art. III. & Sennert. prax. lib. IV. part. II. sect. VII. cap. V. Riverius prax. med. lib. 15. cap. 21.* Undè sanguis hîc, qui merè excrementitius dicendus, quasi incarceratus, sæpius concipit, grumescit, ejusdemque tota immutatur crasis, quare putrescit non raro & acrimoniam concipit, qua conceptâ uterum, quò includitur, vellicat, & irritationem cum tristi sensatione excitat, difficilemque egerendi con-

na-